

de quo *2. Tim. III, 14. seqq.* Maneto, inquit, in iis, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens a quo didiceris: teque a puero sacras literas novisse, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem, quæ est in Christo Jesu. Excipimus vero expositiones textuum Biblicorum, quæ non omnino rejici possunt. Ita populus judaicus, distributo in certos classes V. Testamento, per totum annum illud legi curavit, quod sane non sine explicatione aliqua adjuncta factum fuit, ut videmus *Act. VIII. v. 18. Dn. Gerb. Exegef. loc. I. de Scriptura S. §. 22. pag. 41.*

#### §. XIV.

Hoc charisma exercendum non alligatum est definitæ ætati. ministri ecclesiastici, quod Timotheo in ætate juvenili commendatum fuit *1. Timoth. IV, 12.* ab Apostolo Paulo ad hoc electo. Licet constituat apud *Polyd. Vergilium lib. 4. de invent. cap. 8. p. 315. Jus Canonic. dist. 77. can. 7. dist. 78. Can. 1. Concil. Agathens. dist. 78. Can. 1. Concil. Neocesariens. dist. ead. Can. 5.* more Levitarum vel 25. vel 30. annos requiri. Absque ulla necessitate. Sufficit ad nostrum ministerium peragendum sincera rerum divinarum cognitio, addendum judicii maturitas, una cum vita inculpata. Exemplum esto Samuel *1. Sam. III, 10.* Daniel, *Dan. I, 30.* Jeremias, *Jerem. I, 7.* *D. Balduin. in Comm. ad 1. Timoth. IV. Q. 2. pag. 298.*

#### §. XV.

Per hoc DEUS efficax est: ut clare probat Scriptura *S. Es. LIII, 11. Domine, quis credidit auditui nostro.* Id Paulus explicat *Rom. X, 16. 17. Fidem venire ex auditu, auditum ex verbo Dei.* Hoc charisma Paulus de se prædicat, quando Corinthios per Paulum, per Apollinem, tanquam ministros